

2010 Texas State Junior Classical League
Level 1 Sight Recitation

Vesta dea erat Rōmānōrum quae ignī focōque praeerat. Rōmae fuit Vestae templum, quō in templō sex Virginēs Vestālēs sacrum ignem semper custōdiēbant.

Sex annōs natae virginēs hōc ministeriō fungī incipiēbant, ā Pontifice Maximō dēlēctae. Trīgintā annōs officiīs in templō fungēbantur; tum aut templum relinquere aut ibi manēre eīs licēbat. Virginēs Vestālēs maximō in honōre a populō Romānō habēbantur.

Vestālēs sacrum ignem custōdiēbant, et ubi erat perīculum eum ad locum tūtum portābant. Nōnnumquam Rōmā ignem extulērunt, nē hostēs eum occupāre possent.

2010 Texas State Junior Classical League Level 2 Sight Recitation

Graeci īnsulae cuidam appropinquāvērunt, quam Circē, fīlia Sōlis, incolēbat. Ubi ad terram pervēnit Ulixēs sociōs in duās partēs dīvīsīt, quārum alterī Eurylochus, vir summae virtūtis, alterī ipse praeesset. Hōc factō Eurylochus cum duōbus et vīgintī sociīs ē nāve ēgressus in interiōrem partem insulae profectus est. Magnus tamen timor animōs omnium occupāverat. Vix quidem poterant eī quī in nāve relictī erant lacrimās tenēre, crēdēbant enim sē sociōs suōs numquam posteā vīsūrōs esse.

Illī autem brevī tempore ad vīllam quandam pervēnērunt. Hīc Circē ipsa omnēs ut domum intrārent invītāvit. Cēnam invēnērunt omnibus rēbus īnstrūctam, quam libenter vīdērunt. At Circē vīnum medicāmentō quōdam miscuerat; quod cum illī bibissent, gravī somnō subitō oppressī sunt.